

Admodum Illustri ac Reverendissimo

DOMINO

D. IVLIO BENIGNO,

M V SACRÆ AULÆ CONFISITORIALIS

MA DV O C A T O . S .

NÆ ego te, quæ tibi aliquando probata sunt, amplius non improbatum fore existimaverim. quod ergo hæc aliàs tibi accepta fuerint, & quod in his omnium æquissimus iudex existere potes, nulli magis, quam tibi debebantur. Obsecro ergo æqui bonique hæc consulas, & obsequium hoc meum à me tibi debitum ne contempnas. Vale.

LI-

LIBRI PRIMI
TITVLVS QVARTVS,

De morte, caussa Partus.

S V M M A R I V M .

- 1 Tractatio de morte, caussa partus, est difficilis.
- 2 Contractus societatis requirit, ut pecunia in societatem date currant periculum amissionis.
- 3 Non potest percipi lucrum cessante periculo.
- 4 Propter periculum amissionis pecuniarum admittitur dans pecunias in societatem ad lucrum.
- 5 Contractus propter periculum sustinetur. & num. seq.
- 7 Homo, ut cætera animalia, necessario interit.
- 8 Ob mortem, & pecuniarum amissionem compensatur perceptio fructuum.
- 9 Homo multis periculis ab extrinseco subiacet.
- 10 Vita humana brevis.
- 11 Socius periculum currere debet, quod sibi ab intrinseca caussa imminet.
- 12 Nimis ampla esset lucranda via, si etiam externis periculis socius subiceretur.
- 13 In casu, quod quis sibi vim inferat, pecunias amittit.
- 14 Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi imputat.
- 15 Mors ex peste, & huiusmodi, non est ab extrinseco, contrarium num. 26.
- 16 Peste si corripuntur, in quibus humorum apparatus reperitur. contrarium num. 29.
- 17 Pregnantes facile peste corripuntur.
- 18 Mors ex peste, & huiusmodi, cur excepta. & num. 21. & 23.
- 19 Ex certo periculo non licet pecunias lucrari.
- 20 Periculum debet esse dubium.
- 22 Plurime mulieres ex partu, & ejus caussa pereunt.
- 24 In morte ex peste habet locum vis.
- 25 Mors ex tegula à vento mota caussata excipitur.
- 27 Caussa pestis, & Epidemia semper est uniuersalis.
- 28 Caussa proxima attendenda.
- 30 Homines male affecti peste non corripuntur. Et senes num. seq. contra de sanis, & robustis num. 32.
- 33 Caussa exceptionis ab aliis allata. & num. seq. alia.
- 35 Viraque caussa redarguitur.
- 36 Caussa, ne detur occasio infidias patrandi, non est, cuiusque casus communis.
- 37 Caussa à Seraphino allata non habet locum in morte, caussa partus & pregnantia.
- 38 Mors ex partu, ex peste, & huiusmodi, non est violenta. & num. 46.
- 39 Vera caussa exceptionis in casibus exceptis.
- 40 Quod causam habet extrinsecam, violentum est.
- 41 Mors violenta appellatione quid veniat.
- 42 Mors violenta stricto modo sumpta que.
- 43 Mors naturalis que.
- 44 Mors violenta lato modo sumpta que.
- 45 Mors violenta hic stricto modo accipienda.
- 47 Periculum debet respicere ipsam individuum, & ex his dependere, que ipsi ut tali individuo accidere possunt.
- 48 Pregnantia, & partus sunt res naturales.
- 49 Mulier ad id nata est, ut partus edat.
- 50 Pregnantia non est quid, quod individuo, ut individuo conueniat, sed respiciit speciei conseruationem.
- 51 Quo pacto mors ex partu, & huiusmodi, sit violenta.

Liber I.

- 52 Pregnantia sine extrinseca caussa non fit.
- 53 Mors ex partu, & huiusmodi, aliquo modo est ebolenta.
- 54 Ad contractus societatis validitatem requiritur, ut periculum inter socios sit æquale.
- 55 Communiõne damni & lucri efficitur societas.
- 56 Absque periculi compensatione societas esset iniqua.
- 57 Conditiõ sociorum debet esse æqualis.
- 58 Mulieres non possunt emere, aut exercere officia Romanæ curiæ. Amplia de omnibus officiis publicis. num. seq.
- 60 Mulieres suas pecunias in societatem dare possunt.
- 61 Periculum sociorum diuersi focus est inæquale.
- 62 Præcipua ac vera caussa exceptionis mortis ex partu, & pregnantia, eorumque caussa.

De caussa exceptionis mortis violentæ, & mortis ex partu, & caussa partus, quæ fieri solet in contractibus societatum.

QVÆSTIO I.



Qvod tractatio hæc maximæ ac præcipuæ difficultatis sit, nulli aut dubium est, aut mirum videri debet; non modo enim ipsius rei natura illam difficilem reddit, & eventus mortis in propositis casibus causarum complicatio illam facit difficiliorem; sed & ipsi Medici, qui non ad Iureconsultorum, sed ad proprium intellectum omnia interpretati sunt, eam difficillimam reddiderunt. Etenim Iurisperiti, immo contrahentes ipsi alicujus caussa quid fieri, vel non fieri volunt, quod Medici ob ejus nominis caussa variam ac multiplicem acceptionem diuerso ac pene contrario modo exponentes, & ipsorum Iurisperitorum mentem non assequentes, rem non eo, quo debent modo decidunt, ac illis male iudicandi animam subministrat.

Vt hæc igitur intellectu faciliora reddantur, & Iurisperitis plene satisfiat, nonnulla primum ipsis Medicis in mentem revocanda, quædam etiam ipsis ob legumperitiæ carentiam ignota enucleanda, quibus intellectus, facilis modo loquendi ac intelligendi Iurisperitorum nostro aptato, eorum intentioni satisfacere facile licebit.

Sciendum ergo ante omnia (quod præcipue admonuit me Reverendissimus ac Doctissimus vir Iulius Benignus, quem honoris caussa nomino) quod, si iustitia in suo robore seruanda esset, nullæ deberent in contractibus societatum apponi exceptiones pro parte dantis pecunias in societatem, quia sociorum conditionem inæqualem reddunt, eo quod dominus officii pecunias accipiens ab iis periculis, à quibus eximi vult, dans pecunias his exceptionibus in contractu appositis minime eximatur.

Considerabam tamen ego, quod fortasse hoc permittam

H

missum sit danti pecunias, quia moriente officii domino, amissio officii non redundat in utilitatem quotidianum periculum.

His ergo sic se habentibus, quænam mortis genera excipi permitti potuit, ut æquitas quædam inter socios seruetur? Ad hoc non ante respondere licet, quam ipsius contractus natura integre Medicis non pateat; nam hæc luteconsulti satis superque nota sunt.

2 Naturam contractus societatum illud primo loco requirere certum erat, ut pecuniæ in societatem datae sub alicuius vitæ periculo existerent, ut ex iis lucrum percipi posset; non enim percipi potest lucrum, ubi periculum amissionis pecuniarum cessaverit. Seraphin. in quodam voto in tract. de societ. Zacch.

4 n. dec. 73. num. 1. Et ipse Zacch. frater meus de societ. 5 num. 3. ratio est, quia propter illud ipsum periculum admittitur is, qui pecunias in societatem dare vult, ut particeps fiat fructuum officii, & ob illud præcipue contractus hic sustinetur, absque eo proflus feoneratitius & illicitus futurus, ut idem Zacch. ibid. num. 125. §. seq. & num. 375. & 377. cum aliis

6 pluribus ibi per eum allegatis; est autem hæc necessitas currendi huiusmodi periculum adeo de natura intrinseca hujus contractus, ut absque eo, ut dixi, totaliter, & à fundamentis corrueret.

7 Posito ergo, quod dans pecunias debet currere tale periculum, quo succedente pecunias amitteret, duo considerari poterant; primum, quod homo ut cætera animantia omnia necessario aliquando interit, nam ab ipsa conceptione illum mors persequitur, unde bene dicebat Sil. Ital. lib. 3. de Bell. Pan.

Extremumque diem primus tulit.

Et Pindar. in Pyth. Od. 8.

Diei unus sunt homines.

Quamobrem ad eandem rem Sophocl. in Trachin. recte eam protulit sententiam:

Proinde dies

Si quis duos, pluresve comptet sibi,

Est solidus; haud enim dies est crastina

Certa, antequam præsens bene acta sit dies.

Ex intrinseca ergo, ac connaturali causa in mortem impingat omne animal necesse est, unde Diog. in epist. ad Phenomachum: At unum nobis dumtaxat certissimum est: Corruptio post generationem. Et Lucret. lib. 3. de rer. nat.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat,

Nec de vitari lethum pote, quin obeamus.

Ita ut ob hanc mortis certitudinem, qua eventiente cessat perceptio fructuum ex pecuniis in societatem datis, & socius illas lucratur, compensatur ipsa fructuum perceptio non nisi ad quoddam congruum tempus duratura.

Secundo considerari poterat, hominem præter dictam mortis certitudinem ab intrinseco adveniente, mille aliis mortis periculis ab extrinseco originem habentibus subijci, ita ut prudenter Senec. in Thebaid. act. 1.

Vbiq; mors est, optime hoc caruit Deus,

Eripere vitam nemo non homini potest,

At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Et alter Seneca in epist. num. 104. Ab homine homini quotidianum periculum.

His igitur consideratis, poterat tertio loco animadverti, vitæ humanæ spatium, etiam quatenus ab intrinseco solum dependens habet, esse ex sua natura breve, ut luvinal. præcæteris canebar Satyr. 9. in his carminibus:

Festinat enim decurrere veloci

Flosculus angustiæ miseræque brevissima vitæ
Portio. dum bibimus, dum serua, uigentia, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Iuncta ergo hæc vitæ brevitatem cum mortis certitudine, maxime secundum æquitatem videri potuit, si locus illud tantummodo curreret periculum, quod ab intrinseco & connaturali causa immineret, illud autem permitteretur excipere, quod ab extrinseco, accidentali, ac de foris adveniente causa illi instabat; etenim nimis ampla esset via lucrandi pecunias, si etiam illi mortis casus, qui de foris, seu ab extrinseco adveniunt, loco lucrum facerent, quam tamen potius ardeat iure debeant, qui iustitiam administrant, & ita illos facere dubium non est, nam semper ad favorem ejus libentius, qui de damno evitando tractat, quam ejus, qui de lucro captando agit, inclinant, ut videbimus. Omnes ergo ii casus excipi posse videri potuit, inter quos primo sunt casus mortis violentæ; in omnibus enim hæc casibus patitur maximum detrimentum is, qui pecunias dat, ex quo fas non est, quod lucrum percipere debere. l. Iure Naturæ. ff. de reg. Jur. privatæ enim ex injuria ac violentia externa vitæ bono, quod à Natura illi non denegabatur.

Sed objicies primo casum illum, ubi quis sibimet ipsi manus inferret, nam tunc pecunias amitteret, licet & hæc violenta mors esset, ab extrinseco adveniens. Boccac. in tract. de societ. num. 122. Castellan. eod. tract. cap. 22. num. 1. Zacch. ibid. num. 417. videtur ergo saltem id, quod firmavimus, excipi omnes casus mortis violentæ, & ab extrinseco advenientes.

Respondendo, in citato casu intrare regulam illam à luteconsulti canonizatam: nimirum, damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi ipsi imputare debet. Quod quis ex culpa, ff. de reg. Jur. quamobrem iure non excipitur hic casus, etiam si violenta mors sit, & causam habeat extrinsecam.

Secundo objicies hoc modo: Mors ex peste, & Epidemia non habet causam extrinsecam, sed intrinsecam, nec dici potest violenta, cum satis pateat eos tantummodo corripi peste, & Epidemia, in quibus apparatus humorum, & intrinseca apertitudo, & proclivitas ad concipiendam putredinem reperitur, quamobrem ex ea causa prægnantes, quod pravis humoribus sint refertæ, facilius quam cæteri omnes peste corripiuntur, ut testatur Paresius oper. suar. lib. 21. cap. 17. ex hoc igitur non videtur vera præcipua illa conclusio, quod excipi poterant omnes casus, qui causam habebant extrinsecam, neque enim potest ea ratio his casibus aptari.

Sed huic objectioni multiplicitè responderi potest, & primo dato, quod pestis, & Epidemia habeant intrinsecam causam (quod tamen verum non esse, deinceps monstrabo) tamen dici posset, hanc exceptionem inter alias comprehensam fuisse, ob imminens, immo certum vitæ periculum, quod quisvis in pestilentiali constitutione currit: neque enim ex certo periculo liceret pecunias lucrari,

20 crari, cum illud debeat esse dubium: immo ad illud ipsum periculum evitandum conceditur danti pecunias in societatem, ut per quinquendium dies ante vel societatem didicat, vel periculum in aliam personam transferat; Felic. de societ. cap. 35. num. 37. verfic. Mutatio periculi. Zacchias ibid. num. 392. Secundo respondeo, quod mors ex peste, & Epidemia debet iure excipi propter mortis frequentiam tunc temporis advenientem; sicut enim mors ex partu dicitur excepta ob illius frequentiam, quia plurimæ mulieres ex partu, & illius causa pereunt. Zacchias in prædicto tractatu num. 402. in f. Et ex Medicis Berlin. in libell. de mort. causis. part. in principio, sic immo multo magis debebat excipi mors ex peste, & Epidemia, quia frequentiores sunt eo tempore eventus mortis ex causa pestis, quam alio quovis tempore eventus mortis ex causa partus & prægnantiz.

21 Tertio respondeo, quod cum in instrumento huiusmodi contractuum excipitur mors ex vi proveniens, videtur etiam in hoc casu locum habere vis quædam vel æris, vel exhalationis alicujus terrestris, vel alterius cujuscunque præternaturalis causæ ab extrinseco irruentis, quod testatur Lucret. lib. 6. de rer. nat. his carminibus:

Primum multarum femina rerum

Esse supra docui, que sint vitæ nobis,

Et contra que sint morbo, mortisque necesse est

Multa volare, ea cum casu sunt forte coorta,

Et perturbant caelum, sit morbidus aer;

Atque ea vis omnis morborum, pestis atque,

Aut extrinsecus, ut nubes, nebulaque superne

Rer caelum veniunt, aut ipsa sepe coorta

De terra surgunt, ubi puriorum humida nacta est

Intempere pluviosa, & solibus acta, &c.

22 Ea igitur de re huiusmodi casus comprehendi poterant sub casibus vi illatis; neque enim exprimitur à quam re inferri oporteat huiusmodi vis, sed æqualiter, ac generaliter, à quacunque re inferatur, dummodo sit extrinseca, casus omnis excipitur, unde exceptus est quoque casus ille, in quo regula à vento mota pertransseuntem occidat. Zacch. num. 411.

Postremo respondeo, mortem quamcumque ex peste, aut Epidemia eventientem, semper habere causam extrinsecam; patet quia causa pestis, & Epidemia semper est universalis, & communis cuiuslibet individuo. Hippocrates in lib. de flat. ergo ex necessitate est extrinseca, & est plurimum venenatus aer. Hippocrates ubi supra circa principium, Galenus de Theriac. ad Pis. cap. 16. class. 5. Fernel. de Aëris verum caus. lib. 2. cap. 12. loub. de pest. cap. 3. Paresius lib. 21. cap. 3.

23 Sed instabis dicens, quod etiam si aeris corruptio sit prima causa, tamen ea habeatur ut causa remota, proxima vero finit humores ipsi apti ad putrescendum, & ad semina pestis concipienda; pro-

24 xima autem causa intrinseca est, & ea debet attendi, ut videbimus. Dico, quod ad concipiendam pestem nihil omnino operatur apparatus humorum pravorum in corporibus existentium: nam mala illa venenati aeris qualitas cum de directo contrahitur animantium vitæ, magis adoritur secundum Naturam se habentia, quam cætera. testimonio ejus rei sit, infirmos, valetudinarios, ac putridis prævisque refertos humoribus à peste minus corripit; immo testatur Paresius ubi proxime cap. 17.

25 quod mirum duxeris, Gallico morbo affectos,

26 caneros, ac ulcera phagedænica habentes, quarantarios, & huiusmodi farina homines obferaturos esse à peste servari immunes, & senes ipsos, qui præ cæteris excrementitiis redundant humoribus, difficilius, quam juvenes à peste univerfaliter tradit. Angen. epist. Med. lib. 1. epist. 1. & universaliter sanos, & robustos facilius à peste pati, quam debiles & infirmos firmat, Fernel. loco supra cit.

27 quod quidem satis evidenter testatur, non humores pravis in corpore stabulantes, sed externam pestilentiam causam vim animalibus inferre. Iure merito igitur si quod mortis genus excipi permitti debebat danti pecunias, debebat permitti excipi mors ex peste & Epidemia, nam habet causam extrinsecam veluti omne mortis violentæ genus, nam omnes excepti casus ob id præcipue excipi permitti potuit, quod causam habeant extrinsecam, & violenti sint.

28 Multo tamen ab ea diversam hujus exceptionis causam assignant lurisperiti, volunt enim nonnulli ob id præcipue exceptos fuisse tales casus, ne detur occasio infidias patrandi, Zacch. cum aliis per eum citatis num. 402. Alii dicant excipi, quia generalis est dispositio, ne qui morte violenta perit subiaceat damno amissionis pecuniarum, ita Cardin. Seraphin. in quodam voto, quod habes post tractatum prædictum Zacch. de societ. in decis. num. 46. sed utraque opinio, cum non possit ea causa, quæ ab illis allata est, omnibus exceptis casibus applicari, difficultatem patitur, & primo causa, ne detur occasio infidias patrandi, præterquam quod non comprehendit mortem ex partu, & ejus causa, ut dicebat Seraphin. multos etiam alios casus non admittit, in quibus non potest præsumi, quod infidias parari possint, ut in peste & Epidemia, aut in casu, in quo quis fame periret, & similibus, qui tamen omnes excipiuntur.

29 Causa vero allata à Seraphino non potest habere locum in plerisque ex prædictis casibus, cum mors ex partu, ex peste, ex epidemia, & si quæ alia est, violenta dici non possit, cum vere naturalis sit, ut in terminis mortis ex partu tradunt Castellan. de societ. cap. 18. num. 9. Zacch. eod. tract. num. 423. quamobrem dispositio, de qua per Seraphinum, non debet habere locum in his casibus, neque eos excipere, danti pecunias permitti debuit.

30 Cum ergo minime aptari possint causæ allatæ singulis exceptis casibus, restat, quod vera causa exceptionis quorumlibet casuum, qui in hæc instrumentum excipiuntur, fuerit, quod omnes habent extrinsecam causam, quocirca vero extrinsecam causam habet, violentum evadit, est enim violentum id, cujus principium extrinsecus est. Aristor. 3. Moral. Nicom. cap. 1. tunc ergo intrabit causa à Seraphino allata, si modo ante exponer, quomodo mors ex prægnantia, ex peste, ex partu, & huiusmodi violenta sit.

31 Sub mortis autem violentæ appellatione omne mortis genus comprehenditur, quod extrinsecam habet causam; si enim hoc violenti nomen stricto modo accipias, nihil aliud est mors violenta, quam mors causata à nocumento extrinseco. Rota in Romana societate. officiorum coram Cardin. Sacratio num. 4. apud Zacch. in tract. sepibus citat. decis. 54. & c.

32 contra mors naturalis dicitur, quæ provenit ex causa infirmarum intrinseca sine ulla adhibita occasione. Seraphin. in iam supra citato voto num. 2. unde proprie mors secundum naturam dicitur, quæ ex

33 ficitate

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

H 2

siccitate contingit extincto nativo calore. Gal. 1. de diff. febr. cap. 8. class. 3.

44 At si lato modo illud violenti nomen accipias, quodvis mortis genus comprehendit, uno eo excepto, quod in ultimo senio ex consumptione, ut dixi, nativi caloris advenit, ut perbele docebat Plac. in Tim. non longe à sine his verbis: Quicquid enim præter naturam contingit, dolorem inducit, quod vero pro sua natura fit, iucundum est; & iuxta hanc rationem mors, quæ per morbos & vulnera contingit, violenta est, & dolorem inducit, quæ vero post senectam ad finem secundum naturam accedit, inter omnia mortis genera à dolore alienissima est, & magis cum voluptate fit, quam cum dolore. Eisdem sententia subscribunt Arist. in lib. de Inven. senect. Et. cap. 14. Gal. 1. de diff. febr. cap. 8. class. 3. & Cic. in lib. de senect.

45 Mors tamen violenta in proposito casu strictius accipitur, ac pro ea, ut dixi, quæ causam habet extrinsecam, sub qua comprehenduntur omnia mortis genera, in societatum contractibus excepta ac enumerata, ut deinde videbimus.

Præcipua vero difficultas est de morte, causa partus, quomodo talis exceptionis causa illi aptari possit, nam neque causam videtur habere extrinsecam, neque idcirco violenta dici posse, unde neque cum aliis casibus ob eam rationem comprehendere posse videtur, quod enim causam non habeat extrinsecam, clarum est, quomodo enim extrinsecum dici possit, quod intus in corpore permanentiam habet?

Huic difficultati facile satisfieri potest ex sequentibus. Firmavimus jam superius, quod periculum illud, quod currere debet dans pecunias in societatem, debet ipsum individuum ita respicere, ut ex eius tantummodo dependeat, quæ ut individuo per se considerato accidere possunt; licet ergo prægnantia & partus sint res maxime naturales, ut patet, & late probat Cagnatus præceptor meus in libello de morte caus. part. nam mulier ad hoc nata est, ut partus edat. Quæritur. ff. de Edil. ed. s. si mulier. citat Castrac. de Societat. cap. 18. num. 9. Mant. de consuet. lib. 11. Tit. 19. num. 15. ex nostris Gal. 3. de caus. pul. cap. 2. class. 4. Unde est quod ex hoc laudandum est, quia conservat humanum genus. Cassan. in Glo. mund. par. 2. consid. 21. tamen quia prægnantia non respicit ipsum individuum, neque est quid naturaliter ad sui conservationem necessarium, sed respicit speciem, & ejus conservationem, idcirco videtur quid alienum, & de foris adveniens ipsi individuo, qua de re mors ex hisce rebus contingens, licet, ut dixi, naturalis sit, tamen ex extrinseca causa provenire videtur, & sic inter violentas connumerari potest; nam & prægnantia ipsa non sine extrinseca causa fit, ut cuius satis superque notum est, quamobrem non dubitavit Perlin. Medicus Foroliviensis, in libell. de mort. caus. par. hoc ipsum affirmare, nimirum, mortem causa partus videri aliquo modo violentam, quod à re extrinseca videtur allata.

Aliam insuper causam exceptionis mortis ex partu, & causa partus, & huiusmodi, afferre non pigebit ex natura ipsius contractus de promptam, & talis est:

44 Ad validitatem huius contractus societatis requiritur, quod tam officialis, hoc est officii dominus, quam socius dans pecunias in societatem, unum idemque ac æquale subeant periculum,

& unum altero compensetur, amissio nimirum pecuniarum amissione officii, & vice versa: communione enim damni, & lucri officium societatis. Gratian. Discept. For. cap. 540. num. 15. Tom. 3. 55 & absque hac periculo compensatione societatis esset iniqua. Zach. ubi supra num. 362. & seqq. cum aliis ibi per eum adductis. Rota in Roman. societate. decis. 291. apud Pacif. de Salvoian. in ultim. edition. num. 15. & in Romana societate. coram Pamphilo decis. 61. apud Zach. nam conditio contractuum semper debet esse æqualis ex iis, quæ citat Rota ibid. decis. 78. num. 8. Royz. decis. Litan. 3. num. 440. Kuland. conf. 100. num. 15. lib. 3. & iure, quia non potest esse iustitia ubi deficit æqualitas: iustitia enim & iustum in fœderum æqualitate consistit. Arist. 1. Magn. Mor. cap. 31. & iustitia pars illa, quæ commutativa dicitur, nihil aliud est, quam medium quoddam damni & lucri inter eos, ad quos ea pertinent. idem Aristoteles 5. Moral. Nicom. cap. 4. Cum vero mulieres nec emere, nec exercere possint officia Romanæ Curie, ut tradit Castrac. de societate cap. 12. num. 3. quod etiam de omnibus officiis publicis veritatem habet. l. famine. ff. de reg. jur. Grat. Discept. Forens. cap. 530. num. 26. & seqq. Tom. 3. non tamen prohibeantur, quin suas pecunias in societatem dare possint. Felix. de societ. cap. 3. num. 4. & seqq. Castrac. ibid. cap. 12. num. 9. Zach. ibid. num. 199. jam satis liquet, quod inæquale esset periculum focii & officialis, cum focus, si mulier sit, ultra illud periculum quod subire potest, & subit officialis, subeat etiam periculum ex graviditate & partu sibi imminens; ut ergo æquale esset hoc periculum, non vero majus respectu unius, quam alterius ex focis, debuit iure optimo excipi mors ex partu, & huiusmodi, ut non censetur factus locus lucro, ea eveniente, femina in societatem admittitur.

Ex eo igitur, quod mors ex partu, aut similis causam videtur habere extrinsecam, & idcirco inter violentas posse connumerari, & ex hoc, quod periculum ex eo imminens excedit periculum, quod currit officialis, iure permitti debuit, ut exciperetur.

S V M M A R I V M.

- 1 Non semper mors, in partu aut prægnantia contingens, debet facere locum exceptioni.
- 2 Contractus societatis requirit, ut pecunia subeant periculum amissionis.
- 3 Si omnes mortis casus, in partu aut prægnantia evenientes, partus & prægnantia tribuantur, quid inde sequi necesse sit.
- 4 Dantur casus mortis in partu, qui locum exceptioni non faciunt.
- 5 Mors utrum ex partu sit, Medicis decidendum DD. remittunt.
- 6 Cagnatus, & Perlini opinio circa casus mortis in partu & prægnantia.
- 7 Que de raro contingunt, à lege non recipiuntur.
- 8 Partus & prægnantia sunt res naturales. Et num. 21. & num. 28.
- 9 Mors ex partu quæ secundum Cagnatum.
- 10 Nullus mortis casus in partu evenit, qui non ex partu dici debeat esse.
- 11 Ex partu & prægnantia non potest succedere mors. contrarium num. 29.

12 Si res naturalis nunquam præter naturam evadat, nec morbus, nec mors nunquam nos opprimerent.

13 Morbus fit cum res naturalis in non naturalem transfert. Et num. 15. & 18.

14 Sanum dicitur, quod secundum naturam est, morbosum, quod præter naturam.

16 Calor naturalis res naturalis est, & naturæ vicem gerit.

17 Febri unde fiat.

19 Eiusdem rei datur morbus, cuius datur sanitas.

20 Quod Naturale est, semper sanum non est.

22 Prægnantia quid.

23 Partus est actio expultricis.

24 Partus quid.

25 Datur prægnantie, & partus sanitas, sic & prægnantie, & partus morbus.

26 Prægnantia naturalis quæ.

27 Partus sanus quæ.

30 Quando debeat esse locus exceptioni in morte ex prægnantia, & partu. Et num. 32. 36. & 46.

31 Non idem sunt morbosus partus, & morbus in partu adveniens.

33 Medicorum error unde.

34 In omnibus mortis casibus in prægnantia, aut partu advenientibus, semper partus & prægnantia culpandi.

35 Prægnantia & partus supervenientes morbos irritant, & magis periculo obnoxiam mulierem faciunt.

37 Morborum alii proprii, alii non proprii.

38 Morbi proprii ac primarii sunt causa eorum, qui per consensum fiunt.

39 Dantur morbi proprii, ac primarii partus & prægnantie, sic & iidem morbi ex consensu, aut causa alterorum morborum facti. Et num. 43. & 45.

40 Febri non est morbus proprius ipsius partus.

41 Partus difficultas est proprium symptoma, seu affectus actionis huius, quæ partus dicitur.

42 Partus est præcipua, ac immediata causa mortis, quæ ex difficultate partus evenit.

44 Nullam veritatem habet, non dari proprios morbos partus ex hoc, quod res naturalis sit.

Quandonam mors ex partu, aut prægnantia eveniens debeat censerii excepta.

QVÆSTIO II.

Causam, ob quam præcipue permittitur fieri danti pecunias in societatem, ut quosdam peculiare casus excipere possit, jam superiori quaest. investigavimus, præsertim autem de causa excipiendi mortem ex partu, & huiusmodi egimus; quod vero hinc minime deducere liceat semper mortem in partu, aut in prægnantia evenientem locum debere facere exceptioni, nunc explicandum. Si enim ita se res haberet, iniquum & illicitum rem, ac contra ipsum jus de directo permittitur ei, qui iustitiam populis administrant.

Ex superioribus enim patet, quod ad hoc, ut contractus hic licitus existat, illud primo loco requiratur, ut pecunie in societatem dare subeant amissionis periculum ex succedente obitu illius, cuius vitæ periculum currunt; absque hac autem conditione contractum illicitum, & usurarium evadere clarum est. Si ergo omnem casum mortis in gravida, & partu-

riente evenientem semper debere excipi dicas, quod semper ex partu, & prægnantia sint, pecunia nullum subibunt amissionis periculum, & percipiuntur fructus salvo capitali toto eo tempore, quod inter primam conceptionem, & universum puerperium intercedit, quod erit spatio ad minus decem mensium, in quo spatio gravida, aut parturient, sive puerpera obeunte de exceptione licebit opponere hæredibus, & licet nunquam erit locus, cum quicumque casus in prægnantia, aut partu contingat, certam & indubitam habere posset exceptionem mortis ex partu, & ejus causa.

Non ambigendum ergo, quod non hoc fuerit danti pecunias permittitur, sed debere etiam in prægnante ac parturiente dari quosdam mortis casus, qui non ex partu, & ejus causa evenisse dici debeant, in quibus etiam stante exceptione mortis ex partu, & ejus causa, sit tamen locus lucro, ut explicat Castrac. de Societat. cap. 18. num. 19. & satis id ipsum iurisconsulti declarant, cum evenientes casus non illico pro exceptione acceptent, sed Medicis decidendo remittant, num scilicet inter casus connumerari debeant, qui locum exceptioni faciunt, an inter eos, qui pro lucro sunt, atque ea de re Medicos interrogant, an ex partu, vel prægnantia evenierint, nec ne. Boccac. de Societat. num. 35. & 120. Castrac. ubi supra num. 20. Zach. de Societat. num. 420. & 428. Rota in dicto tractatu. Zach. decis. 99. num. 6. ad quid enim in ea re dubitant, si omnes casus pro exceptione admittunt?

At vero Medicis, qui de morte causa partus libellos ediderunt, Cagnato nimirum præceptoris meo, & Perlino Medico Foroliviensi & aliis difficillimum persuasum est, casus tales dari posse in prægnantia & partu, qui non illico locum exceptioni face- re debeant, attentis verbis in instrumento appositis; atque aperta fronte dari tales casus negat Cagnatus; Perlinus vero etiam dari posse non neget, vult tamen eos esse de eorum numero, quæ de raro contingunt; unde cum similia apud Leges non recipiantur, nec illis jus adaptetur, l. Ex his. Et l. seq. ff. de leg. & sen. conf. Quia lex id sumit, quod ut plurimum fit. Arist. Moral. Nicom. lib. 5. cap. 10. sequitur ex tali opinione, tales casus nullius momenti esse propter eventus raritatem, & sic recipi minime debere.

Tota vero vis eorum, quæ ad suam sententiam probandam adducunt, in hoc potissimum consistit, quod quia partus, & prægnantia res maxime naturales sunt, non possunt unquam per se esse causa mortis, sed ob id solum, quod illis aliquid ex sua Natura mortem inferens adjungatur. His ergo sic se habentibus, illa inquirunt, potest dici mors ex partu, aut prægnantia, attentis verbis ipsius contractus, quæ à præternaturali morbo partui, aut prægnantie adjuncto originem habet; hac ergo ratione nullus casus dari potest, qui non ex partu, & prægnantia sit, attentis prædictis verbis excipiendibus, cum partum, aut prægnantiam comites habent; vere etenim ex partu, aut prægnantia mors, nec morbus evenire potest, quia ea sunt res maxime naturales, nec possunt per se interficere.

Cæterum ego hanc præceptoris mei sententiam diutius examinans, tandem non nisi magna cum admiratione ab ea consideratione me averti; nam firmans, quod nulla res naturalis interficere possit, vel fallum dicit, si vult, nullam rem naturalem posse fieri præter naturam, & non posse interire, vel

vel ad interrogata non respondet. nam Iureconsul-
 ti cum quaerunt a nobis, an mors ex partu fuerit,
 nec ne, non interrogant de partu prout res natu-
 ralis est, sed prout est quid indifferens ad naturale
 & praeter naturam; respondentes autem, quod par-
 tus interficere non possit, quia res est maxime na-
 turalis, partum magis particulariter, & prout tale
 quid est, assumimus; ad interrogationem ergo non
 est haec apta responsio. si enim semper vis partum
 rem naturalem esse, & nunquam fieri posse praeter
 naturam, sic & de omnibus rebus naturalibus dicere
 debes, quod nunquam praeter naturam fiant, nec
 morbum, aut mortem causare possint; at si ita se res
 12 habet, nunquam, ita me Deus amet, mors, aut mor-
 bus nos opprimere poterit, nam nos ex naturalibus
 rebus constamus, & ex iis, earumque beneficio vi-
 tam ducimus, at morbus tunc solummodo fit, cum
 13 res naturales suum naturalem statum mutant, & in
 praeternaturalem abeunt, ita docente Gal. 2. de
 14 tem. cap. 4. class. 1. & alibi; quamobrem cum
 quid sanum dicimus, illud secundum Naturam
 vocamus, cum quid morbosum, praeter naturam.
 Plato 4. de republ. in f. Gal. de symp. diff. cap. 1. class.
 3. & primo de sanit. tuen. cap. 5. trans. med. classe se-
 cunda.

15 Considera ergo naturales res omnes, & ex iis
 solummodo morbos omnes dependere comperies,
 16 cum in praeternaturam abeunt. Calor nativus res
 adeo naturalis est, ut Naturae particularis vicem
 gerat; tamen cum naturalem statum mutat, & in
 17 praeternaturam abit, igneamque Naturam induit,
 febrem accendit. Gal. comment. 1. de vit. rat. in morb.
 acut. tex. 18. class. 7. facit pro Iureconsultis 1. Que-
 situm. ff. de re iudicat. ex qua an mors subsequatur
 ipse viderit; functiones item omnes, quae ad ani-
 malis conservationem, aut aliter pertinent res natu-
 rales, ut praegnantia, & partus maxime sunt, veluti
 concoctio, expulsio, attractio, nutritio, assimilatio,
 caeteraque omnes, tamen & haec cum praeternatu-
 ram fe habent, animal ad interitum perducunt. Conco-
 cctio si depravetur, cruditates generat, ex quibus
 morbus, & mors; expulsio si nimis expellat, si nullo
 modo expellat, praeter naturam evadit, & animal ad
 interitum perducit; attractio si nullo modo, si non
 debita ratione, si id quod non debet, si quando non
 debet attrahit, in praeternaturam abit, & ex ejus cul-
 pa animal ad interitum propeurat, & sic de caeteris.

Ita ut haec conclusio, si quid naturale est non po-
 18 test interficere, falsa sit, si ita intelligatur, ut non pos-
 sit, naturalem statum mutans & in praeternaturam
 abiens, mortem accerere; si vero intelligatur, ut
 quando naturalis est, non possit interficere, ad in-
 terrogationem Iureconsultorum minime satisfaciat.

19 Vides igitur ex superioribus, quod ejusdem pro-
 fus rei cuius datur sanitas, dandus est etiam morbus,
 bona concoctio, bona expulsio, bona nutritio san-
 itas est, mala concoctio, mala expulsio, mala nutri-
 20 tio morbus est; neque enim quod naturale est sem-
 per in naturali statu permanet, & sic non semper
 sanum est, sed aliquando praeternaturale evadens
 21 morbosum fit. Partus, & praegnantia res naturales
 22 sunt, & praegnantia quidem retentio est prolifici
 23 feminis, aut foetus in locis ad ejus augmentationem
 aptis, hoc est in utero; partus vero actio quaedam
 naturalis est, & actio expultricis facultatis, ut pat-
 tet ad sensum, & notat Gal. 2. de symp. caus. capit.
 24 3. class. 3. partus enim est expulsio foetus, & puer-

perii. Si ergo datur partus sanus, necessario dan-
 25 dus est etiam partus morbosus, sic etiam & praeg-
 26 nantia; cum enim haec secundum Naturae inten-
 tionem sit, quod tunc evenit, cum facultates ad praeg-
 nantiam intervenientes vi suo munere recte funguntur,
 nimirum retrahit utri retinendo, ejusdem attrahit
 attrahendo, nutriti nutriendo, tunc praegnan-
 tia sana est, si minus, morbosa; partus autem tunc
 27 sanus est, cum expultrix suo tempore, debito mo-
 do, per convenientes vias, & quantum, & qualia
 oportet, expellit, tunc vero morbosus cum eadem
 virtus neque suo tempore, nec debito modo, nec
 per convenientes vias, nec quantum, nec qualia
 oportet, expellit. Itaque licet partus, & praegnan-
 tia res sint maxime naturales, & ob id quando in
 28 eo statu permanent, interire non possunt, tamen
 non male dicem ego, si exempli gratia, mulie-
 rem ex partu decessisse affirmarem, neque arguere
 me quicum poterit dicens, partus non potuit
 interficere, quia res est naturalis, nam tunc ego de hoc
 partu salum omnino esse dictum non confiden-
 29 ter asseverabo, nam tunc naturalem statum muta-
 vit, & praeter naturam evasit, & interire facili
 negotio potuit; & hoc illud est, quod praecipue
 30 quaerunt Iureconsulti; siquidem tunc, & eo casu lo-
 cum exceptioni fieri volunt, cum partus, & praeg-
 nantia non naturaliter se habentes mulierem ad
 interitum perducunt, non ex alterius functionis,
 sed ex proprii morbi originaria causa. Quamobrem
 31 Medici de ea re interrogatis maxime distinguen-
 dum erat inter morbosum partum, aut praegnan-
 tiam, & morbum in partu, aut praegnantia eveni-
 entem. contractus enim iustitia ea est, ut si mors
 ex morbo partu, aut praegnantia, aut puerperio
 32 subsequatur (qui partus, praegnantia, & puerpe-
 rium ex se, & non ex alterius morbi interventu ta-
 lia existant) locum exceptioni faciat, si autem
 mors ex morbo adveniente in partu, praegnantia,
 aut puerperio, non autem ex culpa partus, praeg-
 nantiae, aut puerperii primaria adveniat, & inde
 mors, exceptioni minime debeat esse locus, ut latius
 infra patebit.

Si ergo Medici talem contractus aequitatem affe-
 cuti fuissent, illud primo loco statuere debebant, ni-
 mirum, quinam morbi dici possint proprii morbi
 praegnantiae, partus, aut puerperii, qui vero non pro-
 prii, sed ex aliis causis originem trahentes, & qui-
 nam ex causa partus, aut praegnantiae fiant, qui vero
 ex alterius causae interventu, atque his ita distin-
 ctis, facile dijudicare potuissent, de quibus casibus
 intelligi debuissent verba contractus, ut Iustitia in
 suo robore maneret, cum per ea fieri locum excep-
 tioni contenti fuerit loci, de quibus autem cum
 exceptionem non admiserint.

At quia putarunt illi, quod pactum inter contra-
 33 hentes id importet, ut quandoocunque praegnantia,
 partus, aut puerperium in eveniente morte culpa
 participant, locus exceptioni fiat, idcirco indiffe-
 renter in omnibus casibus debere dari excep-
 tionem pronunciarunt. Neque enim negari illis po-
 test, quin in omnibus casibus mortis quomodocum-
 34 que in praegnantia, aut partu evenientibus, sem-
 per praegnantia, & partus culpa participant, immo
 & illud concedi ipsis libentissime debet, quod par-
 tus, & praegnantia mortem non ex proprio mor-
 bo dependentem accelerent, & ipsum morbum
 35 aliam per se perniciosam foveant, illique vires submi-
 nistrant.

Hoc tamen nihil contractus aequitatem immu-
 36 tat, neque enim attendi tunc debere dicunt Legum-
 periti partum & praegnantiam, sed cum principa-
 les, primariae, immediae, ac finales causae mortis
 extiterint, quod non semper ita evenire, posthac vi-
 debimus.

37 Caterum, cum morborum & affectuum praeter-
 naturalium alii primarii sint, & proprii ejus partis
 aut functionis, quam primo, ac per se labefa-
 38 ctant, alii vero per consensum fiant; & primarii qui-
 dem & proprii habeant se tanquam causa eorum,
 qui per consensum fiant, ita docente Gal. 1. de loc.
 aff. cap. ultim. in fin. class. 4. hoc etiam maxime
 39 considerandum erat ipsis Medicis. Dari enim par-
 tus & praegnantiae proprios quosdam ac primi-
 arios morbos, seu libet appellare symptomata
 & affectus praeter naturam, credo jam certum esse,
 ac eadem quoque ratione dari eosdem mor-
 bos seu affectus, qui ex causa & infestatione alteri-
 us morbi fiant, quis est, qui negare audeat? Fe-
 40 bris non est morbus proprius partus, nec praegnan-
 tiae, nec symptomata, quod ad tales functiones per-
 tineat, sed est morbus cordis, aut caloris natu-
 41 ralis. Partus difficultas est proprium symptoma ipsius
 partus, quae & per se a partu, aut ab ejus causa,
 vel ab iis, quae ad ipsum spectant dependet, in-
 42 terdum vero etiam a febre. In primo casu partus
 praecipua causa mortis erit, in secundo non, quia
 ex causa febris orta est partus difficultas. Con-
 sentaneum ergo erat, ut Medici definirent, num omnes
 morbi, aut affectus, ex quibus mors in partu,
 aut praegnantia evenit, sint partus, & praegnan-
 tiae omnes proprii, vel nullus, vel partim
 quidem proprii sint, partim vero ab aliis causis de-
 pendentibus.

43 Si enim omnes affectus in partu, & praegnan-
 tia advenientes sunt partus, & praegnantiae pro-
 prii, quomodocumque aliquando fit, ut partus optime, ac
 naturaliter fiat, & omnia circa eum bene succedant,
 & tamen puerpera ex febre succumbat? vel
 qua ratione illud evenit, quod praegnantis neque
 abortiat, neque illi foetus in utero pereat, sed
 vivus inde exitur, nec quicumque, quod ad praeg-
 nantiam attineat, laesum appareat, aut statum natu-
 ralem mutasse, & tamen illa decedat? Ex quibus, ob-
 secro, signis demonstrare poterit, hanc ex praegnan-
 tia obivisse, nulla interim re, quae ad ipsam praegnan-
 tiam pertineat depravata?

44 At si nullus morbus, aut affectus est proprius par-
 tus, & praegnantiae, sed omnes ex aliorum mor-
 borum causis dependentiam habent, jam salva res
 est; nulla enim mulier ex praegnantia, aut partu
 perire poterit, at quomodocumque interdum fit, ut fe-
 tu in pedes, vel alia non naturalia ratione exire ten-
 tante, & pro voto re non succedente, mulier suc-
 cumbat? penes qua rem obsecro, culpa hujus mor-
 tis est, aut cuius rei laesio, aut depravatio illa fuit,
 quae mulierem ad interitum traxit? profecto nulla
 fuit, nisi partus hic depravata apparet, nulla
 corporis pars hic male affecta est, nisi parturiens ute-
 rus, ergo partus solus hic accusandus.

Hic igitur sic se habentibus ratione coacti dice-
 45 mus, morborum & affectuum, qui in praegnantia
 aut partu conspiciuntur, partim quidem ad ipsam
 praegnantiam, & partum primo, ac per se specta-
 re, partim vero non, licet & in his praegnantia, &
 partus secundario, & per consensum depraventur:
 nam partu naturali existente morbus non potest di-

ci ex vitio partus fieri, sed solum cum non natu-
 rali se habet, ut notant Mercerial. in Praelect. 1. Epi-
 dem. sect. 3. Aeg. 4. Lazar. de Sect. Ven. cub. in
 puerp. cap. 1. in princip. Auger. Epist. Med. lib. 11.
 Tom. 2. Roderic. a Castr. lib. 4. de morb. mul. cap. 12.
 in Schol. & maxime faciunt ea quae scribit item Jo.
 Jacob. Lazar. de sect. venarum cub. in puerp. qui tra-
 ctatus ad hanc rem maxime facit, & casus ibi pro-
 positus nostrae assertionis veritatem maximopere
 confirmat.

Tandemque concludere ex his debemus, pactum 46
 inter contrahentes id solum in Iustitiae rigore im-
 portare posse, ut mors ex iis morbis dependens, qui
 ad partum & praegnantiam spectant primo ac per
 se, vel ex eorum causis immediate originem ha-
 bent, locum exceptioni faciat, ea vero, quae ex
 alienis morbis ad partum, & praegnantiam, vel
 eorum causas non spectantibus principium ducit,
 non excipiantur, sed lucro locum praebeat, veluti
 caeteri omnes mortis casus in hoc instrumento non
 excepti.

S V M M A R I V M.

- 1 Exceptio mortis ex partu, & causa partus, aut praegnantiae non alterat contractum Societatis, ita ut illum ex licito illicitum faciat, si bene res perpendatur.
- 2 Medici unde contractus verba non bene intellexerint.
- 3 Particula Ex curi apposta, in verbis, ex partu &c.
- 4 Particula Ex denotat immediatam causam.
- 5 Nomen partus dreyusimode accipitur.
- 6 Partus nomen pro ipso factu.
- 7 Partus nomen pro ipsa actione parientis.
- 8 Partus nomen etiam pro abortu, sed improprie.
- 9 Partus nomine hic quid accipiendum.
- 10 Partus appellatione hic venire etiam abortum.
- 11 Quandoocunque mors ex partu esse debere dicitur, de non naturali partu intelligendum.
- 12 Nec ex partu naturali, nec ex quacunque re naturali, donec tales fuerint, succedere potest mors.
- 13 Partus multis modis fit praeter naturam.
- 14 Partus naturalis multas habet conditiones.
- 15 Partus non naturalis quando fiat.
- 16 Inter praecipuas conditiones partus naturalis est, ut debito tempore fiat.
- 17 Abortus quando succedat.
- 18 Abortus quid.
- 19 Verbis hic Ex partu, qui casus comprehendit, debeant. Et num. 25.
- 20 Coniunctio Et, pro vel.
- 21 Medici hic maxime errarunt in explanatione nominis causae.
- 22 Causa partus fit, quod occasione partus fit.
- 23 Nomen causae hic in propriissimo sensu accipiendum.
- 24 Non addendum in instrumento causae, & occasione partus, vel praegnantiae.
- 26 Ex causa partus quando fit mors.
- 27 Partus proprie quid.
- 28 In instrumentis Notarii pluribus verbis inveniuntur. Et cur.
- 29 Praegnantia quid.
- 30 Omne animal semen continens gravidum est.
- 31 Mulier quo tempore dicitur gravida.
- 32 Quantitas temporis praegnantiae quae.

Declarantur ea verba in contractu apposta, Excepta morte ex partu, & causa partus, & prægnantia.

QVÆSTIO III.

Declarata in superiori questione pacti in societatis instrumento apposti vi, manifeste ex hoc apparuit, quod exceptio mortis ex partu, & causa partus, & huiusmodi, non alterat contractum societatis, si bene perpendatur; ita ut illud ex licito illicitum faciat, sicuti omnino eveniret, si, ut sentiebant Medici, de quibus supra, omnes mortis eventus exceptionem paterentur, cum prægnantiam, aut partum comites habent.

Contraheutes ergo loci apponunt in contractu, vel apponit potius dans pecunias in societatem ad sui cautionem hæc verba: Et si feminas nominaverit, excepta morte ex partu, & causa partus, & prægnantia. Limitat enim dans pecunias in societatem Periculum amissionis earum ex morte nominata personæ subsecutura, excipiens, ne lucro locus fieri intelligatur, si tale periculum super vita feminae confluerit, si modo hæc ex partu, aut prægnantia, aut eorum causa deceaserit.

Horum verborum sensum non integre assequentes Medici, prædictæ factionis vim non intellexerunt, quia rem secundum proprium intelligendi modum exposuerunt; nos autem jam ea verba singula per se explanemus, ut verum eorum sensum assequi possimus.

Præponitur ergo primum illa particula *ex*, ad demonstrandum, mortem in casu exceptionis debere habere immediatam dependentiam à partu, seu à prægnantia, vel eorum causa, ea enim particula immediatam ac proximam denotat causam. *Barr. in l. 1. §. ex incendio. ff. de incendio. r. in. §. Naut. Alex. conf. 49. num. 3. vol. 3. §. conf. 124. num. 10. vol. 4. conf. 144. num. 10. vol. 5. conf. 56. num. 6. conf. 61. num. 5. vol. 6. Cagnol. in l. 1. de officio ejus. num. 61. & ex Medicis Averr. 5. Metaph. comment. 29. & Cognat. ipse in appendice ad libellum de mort. causa per.* Et in terminis nostris conspicuum illud est apud Hipp. in lib. de Nat. mul. & de morb. mul. in quibus quando morbum ex partu, tanquam ex immediata causa fieri annuit, iis utitur verbis: Ex partu hæc contingunt; vel: Si ex partu fluxus prehendant; quin alias id ipsum manifestius fit ex aliis ejusdem auctoritatibus, in quibus particulam hanc pro causa apponit immediata, ut *Aphor. lib. 6. Aphor. 42. si febris non ex bile prehendant, & lib. de affect. in princip. Dolores autem ex pituita ingruunt, ubi in capite mota, ac coarctata fuerit. & passim ibi: hic morbus ex bile oritur, & ex pituita autem gignitur, & in lib. Præd. princip. sent. 55. vocis ex dolore deflectiones, & sent. seq. ex præcordiorum doloribus oborta febris. & *Cels. lib. 3. cap. 6. feminis, quæ ex partu in febrem incidere.* Itaque ex his patet, particulam illam immediatam causam denotare.*

Subsequitur huic particulæ nomen illud *Partus*, quod diversimode accipitur, & primo partus sumitur pro ipso fœtu passim, & ubique *Lucret. lib. 4. de rer. nat.*

Semper enim Partus duplici de femine constat. Hipp. lib. de Genit. æquum esse videtur, ut ex magno parentibus magno partus edatur. Plin. Nat.

hist. lib. 7. cap. 5. Ex his quatuor partus enixa; & apud II. ubique l. in l. Falcidia. 2. ff. ad l. Falcid. l. Deducta. §. hereditatem. ff. ad sen. conf. Trebell. l. Huiusmodi. §. legatum. ff. de leg. princip. l. Necant. ff. de lib. agnosc. l. Drons. ff. de extraord. crim. l. septimo. ff. de stat. hom. l. Non sunt. ff. eod. l. Inter. stipul. §. si quis ancill. ff. de verb. oblig. & alibi sæpe.

Secundo nomen hoc partus accipitur pro actu parturiendi, ita in *l. Aretusa. ff. de stat. hom. & apud Medicos passim, ita & apud ceteros. Virg. primo Æneid.*

— Donec regina sacerdos Marte gravius geminam partu dabit illa prolem. & tertio Georg.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis. Ovid. lib. 3. de arte amand.

Adde quod & partus faciunt breviora juvenum tempora.

& in epist. Canac. ad Macar.

Et rudis ad partus, & nova miles eram. sumitur etiam & pro ipso puerperio, ut videri potest apud Hipp. & alios, & ex locis jam citatis.

Denique sumitur partus pro abortu, sed improprie, & dicitur partus abortivus. *l. Drons. ff. de Var. & extraord. crim. abigere partum pro abortum procurare dixit, ut ibi Glo. quo loquendi modo usus est etiam Hipp. lib. de Nat. mul. & Gal. in 3. de morb. vulg. comm. 2. & g. 11. class. 3. & comm. eod. & g. 10. abortum appellavit parvum partum.*

Hoc autem loco nomine partus omnes ejus nominis acceptiones comprehenduntur. five enim culpa ipsius fœtus, qui vel debilis fit, vel mortuus, vel nimis magnus, vel grandi capite, vel monstruosus, five ex culpa ipsius actionis, que non debito modo fiat, ac depravata existat, five ex culpa purgamentorum puerperii, quæ vel superflua, vel nullo modo exeat, us in expositione nominis causæ dicemus, five ex culpa abortus, qui partus est ante maturum tempus editus, mors eveniat, locus exceptionis fieri debet, dummodo hæc omnia ex alia prioris causæ ad partum non pertinente, sed ab ea omnino disjuncta, originem non habeant.

Quod vero & abortus hic debeat sub hoc nomine partus comprehendi, patet ex hoc, quia quando-
cunque dicitur, mortem ex partu debere esse, supponitur, quod hic partus non naturaliter fiat. quomodo enim ex naturali partu, aut ex quacunque re naturali unquam mors succedere posset? Cum ergo clarum sit, quod hic partus, ex quo mors dependet, necessario fit præter naturam, constat, quod partus multis modis præter naturam evadit; nam quemadmodum naturalis partus multas condiciones habeat necesse est, quas enumerant *Mercorius in lib. cui tit. la Commare. lib. 1. c. 2. in principio. & Roderic. à Castr. lib. 4. de morb. mul. cap. 1. sic ex cujuscuque harum conditionum defectu partus præter naturam evadit, ut idem ibidem docet, & repetit *lib. 2. cap. 1.* partus ergo naturalis inter primas ac præcipuas condiciones illam requirit, ut debito fiat tempore, idem *Mercurius locis citatis, si hoc tempus unum fit congrua latitudine donatum, five multiplex, ut omnes uno ore affirmant. si ergo extra hoc tempus partus fiat, præter naturam evadit. quod de abortu evenit, ex quibus facile colligi potest, quod hic nomine Partus præter naturam accipi, prout accipi debere monstravi, comprehendendi debeat etiam abortus, qui, ut dixi, partus est præter naturam non debito ac maturo tempore editus. His igitur verbis omnia 18 mortis genera perfringi manifestum jam est, quæ 19**

in

Quæstio III.

in ipso partu ex ipsius partus primaria culpa, ac defectu immediate contingunt.

Sequuntur prædicta verba *ex partu*, hæc nimirum: & causa partus, & notat primo conjunctionem illam & quæ hic accipi debet, ex mea sententia, pro vel, ut in *l. Qui transigit. ff. de transact. l. Et eleganter. §. item Pomponius. ff. de delo malo. l. nonnunquam. ff. de præscriptis verbis. l. Doris causa. ff. de Inre dotium. iensu vero talis est: excepta morte eveniente ex partu, vel ex causa partus; non enim necesse est, quod simul & semel, & partus & causa partus mortem accerant, ut exceptioni locus deatur, sed quod alterutrum tantum eorum concurrat, & se habeat ut proxima ac immediata causa succedentis mortis.*

Proximum à prædicta particula est nomen causæ, in cuius nominis explanatione præcipue hallucinati sunt Medici: cum enim per priora verba *ex partu*, casus accipiendi sunt, qui ex culpa partus immediate fiunt, per hæc subsequencia, nimirum & causa partus, eos nonnulli intelligi volunt, qui occasione partus contingunt, quibus scilicet ipse partus aliquam occasionem præberit, habens se, ut antecedens, aut disponens, & remota causa eorum. at rem non ita se habere in subsequenti quæst.

23 palam fiet; quæ de hoc nomine causæ debet hic in propriissimo sensu accipi, prout scilicet est vera causa, ita ut idem fuerit dicere, excepta morte ex partu, ac, excepta morte ex causa partus, neque prout occasionem etiam aliquando significat accipiendum. & male quidem à quibusdam fortasse imperitis Notariis in hisce societatum instrumentis additur, *caussa, & occasione partus*, ac omnino illam dictionem, occasione abradendam crediderim, nam ex ea contractus usurarius fiet, quia nullus casus dabitur pro lucro; nam in quocunque casu partus & prægnantia occasionem præbent morbis, licet alia ex parte congruam haberemus ejus nominis explanationem. Vel potest illud nomen causæ accipi in sequenti significatu, cum enim per priora verba, *ex partu*, casus comprehendi dixerimus, qui ex partu immediate dependent, per hæc, & causa partus, alios comprehendi dici potest; Partus igitur causa aliquando mortem contingere, & tunc temporis intelligendum, cum secundæ à partu vel non exeunt omnino, vel cum difficultate, vel non integræ; cum purgatio aut parca, aut superflua, aut male qualitatis est; neque enim dubium est, quod si mulier ex secundariæ retentione periclitetur, vel ex puerperii parca, aut superflua retentione proprie ex partu obiiisse dici non possit, sed ex causa partus.

25 Proprie enim partus ea actio est, qua fœtus ex utero in lucem venit, ad extra eam actionem jam naturaliter successam, mulier ex puerperii culpa vitam obiens, ex partu decessisse dici non debet, sed ex causa partus, saltem attentis verbis contractus;

26 Notarii enim, ne ex verborum concisione dubium, aut lis oriatur, solent in instrumentis per plura verba contraheutem mentem manifestare. non satis ergo duxerunt ad comprehendendos omnes casus ex partu, aut puerperio contingentes illa verba apponere, *excepta morte ex partu*, sed addiderunt etiam postiora, & causa partus, quia nimirum ex illis verbis, *ex partu*, poterat infergere dubium, utrum pro partu solummodo pariendi actionem intellexissent, vel omnia eum consequentia, & universum illud tempus, quo puerperia procedunt.

De morte, causa partus.

Vel tandem ad prædictorum verborum majorem dilucidationem dicamus, quod mors eveniens in partu dupliciter potest considerari, uno modo, ut quia vel partus difficilissimus extiterit, vel secundæ non facile prodierint, vel puerperia subsecuta non fuerint, vel fortasse superflua fuerint, & huiusmodi, & tunc tales casus per ea verba, *ex partu*, comprehendi dicendum. altero modo ut quia ad prædicta accidentia vel febris, vel dolor intensus, vel simile quidpiam subsecutum fuerit, quod mortem accerterit, & tunc tales casus per posteriora verba, & causa partus, comprehensos asserendum.

Adduntur verba illa, & prægnantia. Est autem prægnantia, ut alias dixi, prolifici feminis intra uterum retentio (pro femine autem non alterutrum, sed utrumque, masculinum scilicet & femineum accipias velim) omne enim animal semen contineas gravidum est. *Gal. 1. de sem. cap. 2. class. 1. ita ut à 30 prima feminis conceptione, ulque ad fœtus educationem mulier gravida dicenda sit, ac consequenter totum illud tempus, quod à prima feminis retentione ad fœtus exclusionem intercedit, tempus prægnantiæ sit dicendum, in quo si mulier ex proprio ipsius prægnantiæ ac primario defectu decedat, exceptioni locus dabitur, & pecuniæ salvæ erunt ad favorem dantis eas in societatem.*

S V M M A R I V M.

- 1 Casus pro exceptione facientes sub tribus classibus comprehenduntur.
- 2 Prima regula pro casibus exceptionis.
- 3 Regula omnes hic apposta non simpliciter intelligende.
- 4 In immodicis partus laboribus quid contingat.
- 5 Historie pro exemplo prioris regule.
- 6 Partus difficultas plures causas habere potest.
- 7 Prima causa.
- 8 Secunda causa.
- 9 Tertia causa.
- 10 Quarta causa.
- 11 Quinta causa.
- 12 Excrementa cum fœtu exortia partum faciunt.
- 13 Sexta causa.
- 14 Septima causa.
- 15 Exceptioni locus est, quandocunque una, & superioribus causis, posteriore excepta, partum difficultem reddat.
- 16 Secunda regula.
- 17 Abortus magis molestat, quam partus.
- 18 Abortus non fit absque voluntate.
- 19 Historie pro exemplo secundæ regule.
- 20 Tertia regula.
- 21 Multiplex partus mulierem magis saugiat, quam unicus.
- 22 Multiplex partus quemodo non naturaliter fit.
- 23 Naturaliter homo unicum partum edit.
- 24 Quarta regula.
- 25 Monstruosi partus maxima secum pericula afferunt.
- 26 Monstri nomine hic quid accipiendum. & nomen. seq.
- 27 Mola à monstro dicitur.
- 28 Conventio contraheutis excipit mortem ex partu, & c.
- 29 Molatio non potest dici gravida.
- 30 Graviditas quid.
- 31 Mola quid.
- 32 Ob quam præcipue causam permissi potius dantur pecunias, ut exciperet morte ex partu, & c. & m. 43.
- 33 Mola habet eandem causam efficientem, quam conceptus verus & naturalis.

- 94 Si mola absque virili semine non generetur, quid sentiendum. & quid si contrarium num. seq.
97 Mulier ex abortu magis, quam ex febre præsumitur mortua. reprobatu ibid.
98 Abortus est causa habilior ad causandam mortem, quam febris. reprobatu num. seq.
100 Febris acuta est causa. & signum perniciosissimum.
101 Acutissimi morbi sunt in continua febre.
102 Abortus acutus morbus non est.
103 Qui morbus ad interimendum habilitior.
104 Febris acuta ex se interimit, abortus vero ex aliorum morborum concomitantia.
105 Abortus per se lethalis non est. & num. seq.
107 Majus periculum suscipit, quæ proventiorem fatum abortus, quam quæ recentior.
108 Mortem censeri ex superveniente causa evenisse, quando habeat locum. & num. seq.
110 Si prior causa poterat per se interimere, ei mors est tribuenda.
111 Exemplum.
112 Morbo lethali supervenientia accidentia ejus effectus sunt.
113 Vulnere ex sua natura lethali existente, ex eo præsumitur quis obiisse, etiam superveniente alio morbo.

Particulares casus ac regulæ, exceptioni locum facientes.

QUÆSTIO IV.

Casus exceptioni locum facientes sub quibusdam certis classibus, ac regulis perfringere hic operæpretium est: nam & Medicis, & Iureconsultis multo magis ea res innotescet, & fortasse omnem dubitandi occasionem cuius hæc quæstio ablatura est, ita ut non nisi gratum quid utriusque ipsorum facturum me existimem, si quamprimum quod proposui aggrediar.
Poffunt ergo ii casus, qui illis verbis, Excepta morte ex partu, & causa partus & prægnantia, excipiuntur, sub tribus classibus comprehendi juxta eorum verborum varietatem: nonnulli enim ex partu sunt, alii ex causa partus, postremi ex prægnantia; quælibet autem classis potest plures regulas constituere juxta casuum eventuum diversitatem, ut in quæstionis processu patebit.
Prima ergo classis, quæ casus continet ex partu eventientes, quatuor constituere poterit regulas, quarum prima erit hæc: Quandoquocumque mulier ex laborioso partu ac difficili decedit exceptioni locus est. Sed antequam ulterius progrediamur, unum te admonitum velim, Lector quisquis es humanissime, hæc non simpliciter esse intelligenda, sed eo modo declaranda, qui in hujus quæstionis calce patebit.
Quod ergo in immodicis partus laboribus ac doloribus consueto molestioribus humores plurimum agitentur, spiritus dissipentur, & sanguis in venis inflammationem, ac præternaturalem calorem concipiat, ita ut ex ea commotio facile vel febris acuta accendatur, vel alius quidam morbus exciteatur, ut uteri inflammatio, & hujusmodi, notum est nobis Medicis, & non solum Gal. comm. 3. in 3. de morb. vulg. tex. 85. class. 3. Ex his autem facile subsequi mortem, non est, qui ambigat. Et confirmat ejus rei veritatem in Sacris casibus Rachelis, de qua Genes. cap. 35. dicebatur vers. 17. Ob difficultatem partus periclitari cepit; & addit vers. seq. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente jam morte &c. In quo casu vides, Rachelem ex simplici partus difficultate & angustia obiisse, nulla alia ante-

Quæstio I.

De morte, causa Partus.

antecedente causa. Habes etiam & apud Hipp. similem casum lib. 3. de morb. Vulg. sect. 2. Agr. 12. quæ ubi cum dolore (hoc est cum insigni ac consueto multo acerbior dolore) masculum efficit enixa, febris ardente correpta obiit. sic etiam & lib. ead. sect. 3. Agr. 14. mulier illa ex difficultate partus, & puerperii retentione obiit; & de mulieribus in Thaso parientibus idem narrat lib. 1. stat. 3. sect. 2. quæ quia difficulter partum ediderunt, à partu laborarunt, ipsaque potissimum obierunt, inter quas solius Telebuli filię mentio habetur, quæ eadem ex causa sexta die à partu perit.
Potest vero ea partus difficultas, dolor, ac labor ex quamplurimis causis provenire: nam & ex parte fetus, & ex parte matris, & ex parte uteri, & ex parte panniculorum factum involventium, & ex parte excrementorum cum foetu exire consuescentium, & ex causis externis, & ex præcedentibus morbis originem trahere. Ex parte fetus, ut quia nimis grandis, vel caput habens magnum, vel quia debilis, vel quia non debito modo exit, vel quia mortuus. Ex parte matris, ut quia nimis pinguis, vel nimis macra, vel pusilla, vel teneræ ætatis, aut nimis maturæ, aut timida, & sic de reliquis. Ex parte uteri, ut quia os habet nimis angustum, aut durum, vel quia cicatricem insignem passus dilatari non potest, vel quia ore distorto, vel nimia laborans siccitate, & cætera ad hunc modum. Ex parte panniculorum, ut quia vel nimis ante diffrumpunt, quam opus sit, vel quia diffrumpi nullo modo possunt. Ex parte excrementorum, ut quia difruptis ante tempus oportunitum dictis panniculis, aquæ effunduntur, & loca muliebria exiccata relinquunt: excrementa enim cum foetu excutia faciem partum reddunt, & hanc utilitatem præcipue à Natura habent. Patens Chirurz. lib. 23. capitul. 12. Columb. Anatom. lib. 12. unde Hippocr. in Conc. Pronot. tex. 513. & 536. ex aquarum ante partum eruptionem malum prænuñciat; quod etiam libell. de fut. in utero mort. 13. expressè repetit. Ex parte causarum externarum event etiam ea partus difficultas, ut ex nimio calore spiritus dissolvente ac dissipante, viresque labefactante, aut ex frigore vias constipante, & hujusmodi. Ex parte præcedentium morborum, ut quia longam febrem, vel acutam passam est mulier, vel acutum alium, aut longum morbum. Insuperque multæ aliæ causæ possunt partum & laboriosum, & difficilem reddere, quas longius profectum prædicant omnes: Paul. lib. 3. sue med. cap. 76. Et. lib. 4. ferm. 4. cap. 22. Traula de pass. mul. cap. 17. Avic. 31. tertii tract. 2. cap. 21. Res. 22. Contin. tract. 7. cap. 1. Gordon. in Lilio. part. 7. de pass. mul. cap. 16. Valese. in Phion. lib. 6. cap. 20. Pedemont. in addit. ad Mesue præticam sum. 4. par. 4. sect. 1. de Agrit. mar. cap. 16. Fern. Parbol. lib. 6. cap. 17. Patens chirurz. lib. 23. cap. 29. Mercurial. de morb. mul. lib. 2. cap. 3. Masfar. in sua præct. & in Prælect. de morb. mul. cap. 12. Roderic. à Castr. lib. 4. de morb. mul. cap. 6. Wimich. comm. de Monstr. cap. 40. Marinell. de Med. mul. lib. 3. cap. 11. & alii quamplurimi, quos ne tædio lectorem afficiam omittam. quæcunque ergo harum causarum (posteriori excepta, de qua infra cum aliis videndum) partum difficilem reddat, exceptioni locum faciet, si ex ea difficultate partus mulier pereat.
Secunda regula primæ classis talis est: Si mulier

ex abortivo partu mortem obeat, exceptioni est locus: patet enim, quod abortus ex sui Natura major rem multo molestiam, ac imminenti periculum affert, quam partus tempestivus, & testatur id ipsum Hippocr. 1. de morb. mul. vers. med. qui, Periclitantur, inquit, magis, quæ factum corumpunt, abortiones enim majorem molestiam, quam partiones afferre solent, cujus rei rationem reddit ipse subdens: Neque enim citra violentiam abortio contingit, quamobrem cum abortus talis ex sua Natura sit, ut per semetipsum mortem accerere possit, quatenus alia secum mala accersit, mors ex eo proveniens dabit exceptioni locum, cujus casus historiam unam aut alteram habes apud Hippocr. 3. de morb. vulg. Agr. 10. & 11. quarum ægrotantium utraque ex abortu in ardentem febrem lapsa, vita functa est. & similis etiam est casus Iulix Magni Pompeji filix apud Val. Max. lib. 4. cap. 6. tit. de amor. conjug.
Tertia regula hujusmodi esto: Ex editione multiplicitatis partus si periclitetur mulier, exceptio locum habebit; multiplex enim partus insigniores labores, & diuturniores dolores, tempusque multo consueto longius, & majorem venarum ac vasorum, violentiorumque disruptionem, & sanguinis copiosiore profusionem affert. ex quibus etiam major parientis debilitas, & majus periculum in multiplici partu, quam in unico succedit, ut experientia docet, & notavit Mercurius in suo lib. cui tit. la Commare, lib. 1. cap. 23. & lib. 2. cap. 14. Itaque etiam si quoad alias condiciones hic partus naturaliter fieret, tamen ex eo, quod non unicus sit, potest non naturalis vocari: nam secundum Naturam legem homo non nisi unicum partum edere debet, ut in tit. de Partu legit. & viridi plene probavi. Mors igitur ex hac causa eveniens exceptionem lucro dabit.
Quarta regula: Si ex monstroso partu mulier periclitetur pro exceptione casum facit. nam ex sua natura monstroso partus maxima pericula afferunt, testatur Mercurius ubi sup. lib. 1. & 2. & Perlini in libello de mor. causis. par. vers. f. & id multis nominibus evenite tradit Wimich. de ort. monstr. cap. 40. Sed quid proprie hic pro monstro debeat accipi, utrum in sensu I. ostentum. ff. de verb. & ver. signif. an in sensu I. Queret aliquis. ff. eod. profecto dubium aliquod afferre possit, quod omnino diluere par est. Erit ergo de hac ipsa materia in peculiari loco nobis sit agendum, pro nunc tamen dicamus, hic monstri acceptione venire omne id, quod contra formam humani generis natum est, ut per citatam I. Queret 27. aliquis. & per Glo. ibi, quod tamen potius prodigii nomen mereatur, quam monstri: neque enim satis esse dixerim in hoc casu, ut monstrum peperisse mulier dicatur, & ob id ea in partu periclitata fuisset, ut natus vel altero brachio, seu crure careret, vel digitum superfluum haberet, vel ore esset distorto, vel oculus captus, & hujusmodi; tales enim natos monstri nomine etiam insignimus, latissime eo monstri nomine accepto. Sed de his longioribus, ut dixi, Deo dante, nobis erit alibi pertractandum.
Distingue tamen monstrum à mola, in mola enim majus dubium est, an debeat facere locum exceptioni, nec ne, & ratio dubitationis est, quia una ex parte conventio contrabentium excipit mortem ex partu, causa partus, & prægnantia; à mola generis mulier nunquam gravida dici potuit, neque si molam egerit, peperisse, aut partum egerisse